

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 21. (*Neovidensis* 1806. Nro. 14.)

Ex Campis Elysiis
Colloquium Politicum
vita functorum.

Elysium - Meum. - Die Martis 4. Martii 1806 (*Neov.* 14. Febr. 1806.)

Prima Coalitio — — mea culpa!

Secunda Coalitio — — mea culpa!

Tertia Coalitio — — mea maxima culpa!!

Politica Confessio.

Machiavellus, & Pittius.

Pitt. O ignota umbra! dicito, quæso, ubi sedeat Minos pro tribunali, ut mihi sententiam ferat?

Machiavel. Minos est tantum iudex justitiæ, tu hanc, magne minister! non administrasti. Politica, cui tu te totum tradideras, non pertinet ad ejus forum. Justitia est vitium in Politica.

Pitt. Quis ergo me confitentem exaudiet? Cui reddam actionum mearum rationes?

Machiavel. Nostin' magnum illud mundi lumen, quod omnes ministros, & Principes in principiis politicis erudit?

Pitt. Perbene; est — Machiavellus!

Machiavel. Intuere me fixius: Ipusus sum.

Pitt. (*Ad genua provolutus.*) Confiteor omnipotenti idolo politico, ejusque sanctis, Mahometi, Gingischano, Tamerlano, & Julio Cæsari, Carolo V. Ludovico XIV. etc.; meo Patri Lordio Chatam, Lordio North, Bure, Friderico unico, & Herzbergio; Josepho II. & Kaunicio, Richelio, Mazarino, Fleurio, Choiseulio, Vergennesio, & omnibus viris, quos Politica sanctos pronuntiavit. Confiteor mea politica peccata tibi supremo Antistiti, qui constitutus es ad judicandos omnes ministros, & politicos, habesque potestatem eos vel absolvendi a peccatis, vel condemnandi.

Machiavel. In tua patria diceris esse infensissimus Galliae hostis, exteri autem cum detestatione vocant te Angelum interfectorem, incentorem bellorum. Tu quidem imperium maritimum Britannorum ad summum perduxisti florem, at eo graviori infortunio continentem involvisti.

Pitt. *Mea culpa!* Attamen nunquam reperi modum, quo coalitionem, quam adeo pretiosa arte consociavi, a discordiis immunitatem conservarem. Quisque ad illam alia attulit consilia, & tandem omnes, — singillatim, alter post alterum derelicto vero scopodum discesserunt.

Machiavel. Faterè ingenue omnia, ut te possim criminum vinculis exolvere v. g. tumultus gallicos?

Pitt. Mea culpa! Gallix successerat Americam separare a Britannia, hujus vulneris cicatrix nondum obducta est; vindicta paranda erat, hæc enim inter virtutes politicas numeratur. Præterea Gallia suum commercium adeo provexerat, ut jam ceperit Anglico noxium fieri.

Mach. Itaque seditio fuit unicum medium?

Pitt. Illam ego directe non accendi; verum male faustus Dux Aurelianensis, inhians regix dignitati, omnia discordiis miscuit. Hac occasione usus sum in rem meam, ejusque causam tutabar; At quotiescunque in hac rerum confusione credebam quampiam factionem meis adhærere partibus, mutata sunt rerum adjuncta. *Mea culpa!*

Machiavel. Domum Austriacam, in calamitatem delapsam, semper deseruisti. Ut quid non impendisti omnes thesauros, artes, & Politicam ad novos eidem fœderatos procurandos? Illa autem prospera utente fortuna distinebaris occupandis variis insulis, neque ulla te Britannicæ felicitati immersum ejus cura tangebatur.

Pitt. Mea culpa; Pater peccavi!

Machiavel. Immane est hoc scelus, certe valde grave, cujus pœnam tu ipse quam maxime sensisti. Illa etenim honestissima, fidelissimaque domus ab omnibus derelicta, & a tua Politica non satis defensa, coacta est tandem ad pacem descendere, quo factò universa Gallix vis contra magnam Britanniam conversa est.

Pitt. Mea culpa! Interim secundam conflavi coalitionem: Paulus Imperator Russiæ misit singularem Heroem Suvarovium. Sed etiam in Paulo I. erant quædam singularia. Eventus conatibus non respondit.

Machiavel. In pace Ambianensi tu, vel quod idem est, amicus tuus Addington nec meministi fidi tui fœderati; ne litterula quidem ibidem occurrit in favorem ejus; At insularum hispanicarum & hollandicarum Trinitatis, & Ceylon non es oblitus. Non capio, quomodo potueris te tam odiosi criminis, quale ingratitude est, reum facere, cum præsertim sciveris, solam Austriam esse, quæ possit Galliæ resistere.

Pitt. O mea culpa — mea culpa! !

Machiavel. Si tunc unam ex occupatis insulis in utilitatem Austriæ dimisisses, Gallia hanc cessionem fuisset ambabus ulnis amplexa; Et tu tuum fœderatum pro futuris temporibus longe fortissimum reddidisses. Equidem non sum nescius, gratum animum non esse virtutem politicam, at dantur casus, in quibus etiam illa est opus. Gallia hætenus semper magnanimum, & gratum animum exhibuit suis sociis.

Pitt. Gravissime me cruciat hoc flagitium, sed Pater Politicæ! illud ego ex tuis scriptis hausi. Tua doctrina est: licitum est inaudita etiam scelera patrare, dummodo intentus finis obtineatur, atque hanc ego ad amissum secutus sum.

Machiavel. Nescio, an te debeam magis

mirari, an tuos fœderatos. Quamvis tanta enormia commisseris scelera, attamen etiam tertiam coalitionem conscivisti.

Pitt. O mea maxima culpa! Hæc erat ultima mea operatio. Sed quo cum successu? Hic me e vestigio mansit pœna: Mors dissolvit mea politica consilia, ex tertia coalitione prognatæ sunt depopulationes in Germania. O me miserum peccatorem!

Machiavel. Hispania clamat vindictam contra te. Tu ejus naves curasti submergendas, & thesauros diripiendos, quin bellum declaraveris.

Pitt. Hoc est peccatum consuetudinis Anglicæ. Jam a longo tempore adorimur sine prævia belli indictione omnem, qui nostrum detrectat imperium.

Machiavel. In quam terribilem statum conjecisti Neapolim! Brevi lava Vesuvii humano sanguine restingvetur — politica lava, quæ e Vesuvio tui capitis profluxit.

Pitt. Hujus peccati me magis pœnitet, quam omnium præteriorum. O utinam dolor veniam impetraret!

Machiavel. Ab inimicis tuis accusaris de subruta patriæ tuæ libertate, & de populo Anglico onerato ingenti debitorum multitudine.

Pitt. O summe ingratos! Non procuravine Brittannico tridenti imperium maris? Non locupletavine commercium Anglicum jure eminenti orbem universum providendi rebus necessariis? — Et Anglia potest, sicut quilibet cultus homo, suam exiguam libertatem

cum divitiis, commoditate vitæ non invita commutare. Sine exaggeratione licet affirmare: Quot ego peccata, tot numerat Angliæ nationales virtutes. Omnis mea pecuniarum profusio, quam feci ad bella protelandæ, solvendos Insurgentes, & provincias fame conficiendas, eo solum tendebat, ut Angliæ dominationem in maribus conservarem, stabilirenque. Eheu! mors, hic infensissimus meæ patriæ hostis meum amicum, Heroem Nelson, & me eo tempore abstulit, quo Respublica nostro potenti auxilio quam maxime eguisset.

Machiavel. Recôgita vanitatem mundi! Obiisti annos natus 47. postquam 20. annis, & amplius gloria nominis tui orbem terrarum implevisti, atque Europam, ejusque incolas sæpius afflixisti, quam beaveris. Infelix sors mortalium! Insanæ eorum animi affectiones depopulantur provincias, & milleni, ac milleni cadunt velut inauspicatæ victimæ ambitiosorum consiliorum, quibus se mundum inversuros autumant. Hic tamen æternis adstrictus legibus suum cursum eodem tenore prosequitur, atque mors talem arrogantem una cum suis inventis redigit in pulverem; Quid vero ipsum consequitur? Ad summum lachrymula, aut imprecatio præsentium & futurorum hominum.

Pitt. O me miserum peccatorem!

Machiavel. Cæterum tu etiam pluribus virtutibus fuisti ornatus, quæ tibi honoris cedunt. Tua abstinentia, rara in Ministris

virtus, præ cæteris summam meretur laudem. Jam inde ab anno 1783 fere in continua serie primus mini ter conferebas fructuosissima munera, creabasque pro arbitrio optimates Angliæ, ipse autem mortuus es in tua nativa conditione, relictis 50 millium libr. Sterl. debitis. Ea præstabas dicendi gloria, ut nemo promtior lingua in civitate haberetur, tua tamen vivendi ratio erat simplex, erga solam patriam fuisti magnanimus. In rebus politicis fueras exercitatissimus, excellenter callebas rem familiarem publicam, & quod cumprimis magis commendat virum, quam omnes industria partæ artes, ac scientiæ, fuit firmitas tui animi, quæ non raro ad pertinaciam accessit. Gallia non facile nata est implacabiliorem te hostem, sed in hoc ita egisti personam Britanni, sicut quiscunque alius. Imminutio potentiæ Gallicæ, quæ sola potest Imperio maritimo Angliæ limites ponere, ejusque commercium æmulari, fuit tua prima, & ultima meta, ad quam indefesso conatu properabas. Tua Politica nulla respuit media, quæ ad hunc finem idonea videbantur; verum hæc ipsa media, quæ in continente quæsivisti, quæve semper infelicem habuere exitum, attulerunt Europæ, & potissimum continenti calamitates, & confusiones, quibus, proh dolor! hodiedum gravissime premimur. Sine tuis consiliis forte nulla fuisset enata coalitio, & multa non evenissent, quæ ad aver-

tendam omnem communicationem continentis cum Anglia constituta sunt.

Pitt. O mea culpa, mea maxima culpa! graviter deliqui!

Machiavel. Insigni dignus es pœna.

Pitt. O lubens eam subibo, peccavi etenim. Peto absolutionem.

Machiavel. In pœnam itaque scito, multæ loco experiare, esse — sed quo animo hoc accipies?

Pitt. Heu me miserum peccatorem! Sum ad omnia paratus.

Machiavel. Scito igitur, & hoc te torqueat, conficiat, exeruciet, esse Dominum — esto forti animo!

Pitt. Non est, ut obfirmatum incites, ita ad omnia præsto sum, lubet pro peccatis meæ politicæ satisfacere.

Machiavel. Hic ergo in campis Elysiis cognoscito, esse Dominum — noli turbari — esse Dominum Fox inter ministros relatum.

Pitt. (*Corruit, sed iterum se erigit.*) Hæc profecto acerba est pœna, Foxius minister! Omnia interibunt, quæ tanto labore firmavi. Nihil fiet pax americanæ simillima. O mea culpa! Ducito me, quæso ad fluvium oblivionis, ut ex eo bibam.